



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

In Natiuitate D. N. Iesu Christi Paraphrasis in epistolam B. Pauli Apostoli ad
Hebræos cap.I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

IOAN. LANSP. CARTHVS. SERMONES
IN SACRATISSIMA SOLENNITATE NA-
tiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Epistola
beati Pauli Apostoli, ad Hebræos
cap. primo.

Multisq̄ue modis olim Deus loquens patribus in prophe-
tis, nonissime diebus istis loquutus est nobis in Filio suo, quem con-
stituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui quum
sit splendor gloria, & figura substantia eius, portans q̄ue omnia ver-
bo virtutis sua, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dex-
teram maiestatis in excelsis. Tanto melior angelis effectus, quanto differentius
pra illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, *Filius meus
es tu, ego hodie genui te?* Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in
Filium.* Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: *Et ad-
orent eum omnes angeli Dei.* Et ad angelos quidem dicit: *Qui facit angelos
suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Ad Filium autem: *Thronus
tuus Deus in seculum seculi: virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti iusti-
tiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultatio-
nis pra participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera
manuum tuarum sunt celi. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt ve-
stimentum veterascent. Et velut amillum mutabis eos, & mutabuntur. Tu
idem ipse es, & anni tui non deficient.*

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

TRiplicem esse Domini natiuitatem scire oportet. Vnam, quæ est æter-
na ex Deo Patre: alteram quæ temporaria est, ex virgine matre. Ter-
tiam, quæ fit in hominis mente. Has tres natiuitates expedit non igno-
rare, quandoquidem in hac epistola de vna natiuitate, quandoque inter-
dum de alia necesse est intelligantur verba Apostoli, aut sacræ scripturæ, si
rectè omnia debeant intelligi. Dicit igitur Paulus Apostolus: *Multis va-
rijsq̄ue modis olim loquutus est Dominus Deus patribus ac Prophetis.* Hoc
est, per varia quidem genera loquendi patribus futura, aut salutis necessaria
locutus est, interdum manifestè, interdum obscurè, aliquando per figuras,
aliquando nudè, quandoque per angelum manifestè, & nunc iterum per
inspirationem: sed & aliquando blandiens, aliquando terrens. At, nonissi-
mè diebus istis, iam quando alia Dei non sequitur locutio, locutus est nobis
in filio. Filius enim de seipso dicebat Iudæis: *Verba quæ ego loquor, à meipso
non loquor.* Locutus itaque nobis est Deus in Filio, quem ne vilem putemus
sciamus oportet hunc esse Filium, quem Pater heredem constituit vniuer-
sorum, secundum humanam naturam adsumptam, iuxta quam etiam Do-
minus est omnium constitutus à Patre: per quem, iuxta hoc, quod est ver-
bum Dei, & eiusdem naturæ ac potestatis cum Patre, fecit & secula, hoc est,
omnia hæc visibilia & mutabilia. Qui filius Patri coæternus & coequalis,
cum

Sapient. 7.

Psal. 2.
2. Reg. 7.

Deut. 31.

Psal. 96.
Psal. 103.
Psal. 44.
Psal. 101.

Natiuitas
Christi tri-
plex quæ fit.

Ioan. 14.

Aster. 19.

cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, utpote in quo perfectè respicendæ tota perfectio Patris, & similitudo, sicut Philippo Christus dicebat: *Qui videt me, videt & Patrem*. Quantus enim est Pater, tantus est & Filius. Et qualis est Pater, talis est etiam Filius, pura coæternus, sicut est soli splendor coæternus, consubstantialis, eiusdemque virtutis & potentia. [Qui portat omnia ne in nihilum revertantur, sustentans, conservans ac gubernans tam visibilia, quam invisibilia, absque suo labore: sed verbo virtutis suæ, hoc est, solo imperio suo, sola voluntate sua, quæ in eo virtus est & omnipotentia, & purgationem peccatorum faciens in sua passione, ubi à peccatis nostris nos lauit in sanguine suo: qui nihilominus, iuxta hoc quod est Deus, peccata nobis dimittit, sedetque ad dexteram Patris, cui maiestate par est & æqualis in excelsis, seu in cælo empyreo: tanto melior angelis effectus, ac angelis secundum humanitatem, prælatas per unionem cum verbo hypostaticam, qua ab initio suæ incarnationis tanquã dignior tanto angelis prælatus est, quanto differentius excellentiusque hereditavit nomen, quod est super omne nomẽ, puta ut homo sit, voceturque unigenitus Dei Filius ac verus Deus: quod nomẽ ex generatione habet æterna qua similitudinẽ diuinitatis accepit à Patre, quamvis, quantum atinebat hic ad mortalitatem, passibilitatem ac sepulturam carnis, dicitur paulo minor angelis factus. Veruntamen propter unitatem personæ ut eius intelligatur excellentia clarius, sequitur: Cui enim angelorum aliquando dixit, quod filio dixit Christo suo unigenito: *Filius meus es tu, ego hodie*, id est, in die æternitatis, ubi neque præteritum est, neque futurum, genuit te? Quamvis enim angeli per adoptionem gratiæ consummatæ in scriptura vocentur filij Dei, ut est illud in Iob, *Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & subilarent omnes filij Dei?* non tamen ex Deo sunt geniti, sed à Deo creati. Soli igitur Filio dicitur: *Ego hodie genui te*. Non dicit: *Hodie gigno te*, ne hodie videatur initium sumpsisse, ac Deus videatur recens: sed cum die æternitatis posuit præteritum, quia semper genuit. Et rursus Pater loquitur: *Ego ero illi homini, cui unietur meum verbum, hoc est, ego ero Christo in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Verbum enim caro factum, est in duabus naturis vna in persona. Quasi Paulus dicere velle: Antequam Dei Filius homo fieret, promisit Deus eidem se fore homini in Patrem. Et cum iterum introducit primogenitum suum in orbem terræ, id est, cum introducendum promittit, seu prænunciat visibilem in carne adsumptam, qui tum erat in mundo invisibilis (Secundum diuinitatem namque est Patri unigenitus, quia fratres non habet: secundum humanitatem verò primogenitus est, quoniam electorum multorum dignatus est esse frater) admonentur angeli adorare eum. Hoc autem iuxta translationem septuaginta legitur in cantico Deuteronomij, hoc modo: *Letamini: et simul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei*. Inde enim citat verba: quandoquidem autoritas maior erat apud Hebræos translationis iuxta septuaginta. Et ad angelos quidem, hoc est, de conditione angelorum loquens, dicit: *Qui faciunt angelos suos spiritus*, hoc est, eos qui sunt spiritus caelestes, facit Dei angelos seu nuncios. Ut qui semper quidem spiritus sunt ex officio fiant angeli, id est, nuncios vocentur. Et ministros suos flammam ignis. Hoc est, eos

Ioan. 14.

Apoc. 6.

Phil. 2.

Psal. 8.

Psal. 2.

Angeli quomodo vocentur filij Dei. Iob 38.

2. Reg. 7.

Ioan. 1.

Filius Dei quomodo dicitur unigenitus & quomodo primogenitus. Deute. 3. Psal. 103.

vñctus qui-
nam dicatur
Christus.

Spiritus qui ardent Dei amore vt flamma ignis, puta Seraphin, facit mini-
stros suos Deus Pater siue Christus. Ad Filium autem Pater loquitur per
Prophetam: Thronus tuus, id est, iudiciaria potestas, regia dignitas, imo
regnum tuum (ò Deus fili) stabit ac manebit in seculum seculi, seu perpetuo.
Virga regni tui, hoc est, scriptum iudiciariæ potestatis, censura ac disciplina
tua iudiciaria, est virga & regula æquitatis. Nec mirum. Dilexisti enim iu-
sticiam, omneq; bonum, & odisti iniquitatem, ac omne malum. Quapropter
non immerito vnixte ò Deus fili Deus tuus. Vnxit te secundum humanam
naturam oleo exultationis, dono videlicet & gratia Spiritus sancti, consci-
entiam tuam exhilarantis: idque præ participibus tuis: perfectiore nimis
vnctione quam vngit electos alios tibi cohæredes. Illi enim posteaquã
concepti sunt aut nati, vnguntur oleo Spiritus sancti, ac postquam in pecca-
tis fuerunt sanctificantur. Christus verò qui de Spiritu sancto conceptus est,
non ante conceptus est, deinde vnctus: sed hoc ipsum concipi de Spiritu
sancto & incarnari in utero virginis fuit à Spiritu sancto vngi. Prosequitur
autem Paulus eius æternitatem insinuans: Et tu Domine fili mi, in princi-
pio mundi ac temporis, fundasti ac esse fecisti terram, qui eras ante omne
principium, & ante omne tempus: & opera manuum tuarum sunt cæli, vt
pote virtute voluntatis ac iussionis tuæ facti. Ipsi peribunt, quatenus ad mo-
dum (vt ita dicam) essendi attinet, quem nunc habent, & quantum ad acci-
dentia, non tamen quantum ad substantiam. Tu autem Christe permanebis.
Et omnes cæli veterascent sicut vestimentum, quod longæuitate deterius fit.
Ita cæli, præsertim aeris, quantum ad accidentia veterascent, vt virtute, in-
fluentiaque languescant. Et æquè faciliter vt quis muta uerit amictum, mu-
tabis eos, & à solito cursu, influxuque cessabunt, & mutabuntur in melius, si-
cut in Apocalypsi vidisse se Ioannes testatur, dicens: *Vidi calum nouum, & ter-
ram nouam.* Tu autem idem es & immutabilis, quomodo in Propheta dixisti:
Ego Dominus, & non mutor. Item: *Ego sum, qui sum.* Et anni tui non deficient. An-
ni tui non sicut nostri anni sunt, qui transeunt & deficient. Perro annus tu-
us stat, nec transit. Annus tuus dies est, qui semper stat, semper lucet, nunquã
finitur, vt pote ipsa æternitas.

Apoca. 21.

Malac. 3.
Exod. 3.
Anni Christi
non defectu
si quis sint.

*EXEGESIS EVANGELII IN NOCTE SACRA-
tissima Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, quod le-
gitur ad primam Missam, Luca II.*

HOC præsens Euangelium, quod in nocte huius solennitatis in prima
legitur Missa Lucas scribit, Christi nobis natiuitatem explicans &
tempus. Et hoc iam nobis explanandum videtur. Quare? Quia diei
huic magis congruum est, clariusq; potest & enarrari & intelligi: ideo præ-
dicandum illud vobis duxi. Nam si Euangelium vobis dixerò Ioannis, ta-
met si tribus diebus prædicauerò, non tamen faciam, vt ita intelligatis il-
lud, vt ædificati recedatis doctiores, deuotioresve. Itaque dicit Lucas:

Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuer-
sus orbis.

Post longa multaq; Romanorum prælia, post strages multas, post victo-
rias donique crebras adeptas, tandem sub Octauiano Augusto, tanta est pax
vni-

vniverſo orbi reddita, vt vnus homo quiete vniverſo imperaret mundo, eſſetq; tempus, quod tam Eſaias, quam Micheas prophetarat, dicens: *Conſtabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium.* Tanta, inquam, per orbem vniverſum erat pax, tanta quies, vt deſcriberetur vniverſus orbis, quo ſcire poſſet Auguſtus quot provincie, quot ciuitates, quot pagi, quot denique homines ſibi forent ſubieſti. Hanc autem pacem Dominus mundo tunc conceſſit cum ipſe vellet naſci, quo agnoſceretur natus, qui terrena cæleſtib; homines Deo pacificaret, recõciliaretq;. Naſcebatur, inquam, hoc pacis tempore, qui pacem amat, pacem quærit, pacem præcipit, pacem largitur, in pace ſola habitat. Signa autem pacis certiffimiq; indicium erat, quod totus deſcribatur orbis. Obſerua autem, quod ne ipſa quidẽ deſcriptio hæc myſterio ſignificationeq; myſtica vacat. Quam B. Gregorius explicans. Quid, inquit, eſt, quod naſcitur o Domino no mundus deſcribitur, niſi hoc quod aperte monſtratur, quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate? Quotquot enim ab æterno ſunt ad vitam prædeſtinati æternam, modo temporaliter à Spiritu ſancto conſignantur, atque in Dei familiam adſcribuntur. De quo Eſaias dicit: *Et erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſidus in Hieruſalem ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem.* Et Daniel: *In tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.* De hac inſcriptione Chriſtus loquitur Apoſtoliſ, quando dicit: *Gaudete & exultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in celo.* Itaque tempus illud impletum erat, quo ablato ſceptro de Iuda duceq; de ſtirpe eius, vbique dominantibus Romanis, venturus erat Meſſias, qui erat expectatio gentium. Igitur edicto promulgato, præſidium quilibet ex pagis, vilis ac oppidis ſibi ſubieſtis ſubditos ad ciuitatem ſuam præcipuam, vnde erant nati, conuocabat, quo vnusquisque Imperatori cenſum ſolueret, Romanoq; ſeſe profiteretur ſubieſtum imperio, deſcriptioneſq; & pecuniã ad Imperatorem mitterentur. Scire enim Auguſtus voluit, cuiuſmodi tributum, quod tolerandum plebi foret, imponeret.

Eſa. 2.
Mich. 2.

Pacis tempore cur naſci Chriſtus voluerit.

Gregorius.

Deſcriptio hæc myſticè quid.

Eſaia 4.

Daniel. 12.

Luc. 10.

Gen. 49.

Hæc deſcriptio prima facta eſt ſub præſide Syriæ Cyrino.

Prima omnium deſcriptionum, quæ totius fuit orbis vniverſalis, antequam nullo hoc modo fuerat alia prior, facta eſt ſub præſide Syriæ Cyrino, hoc eſt, dum hæc fieret deſcriptio prima, Cyrinus tum præſidebat Syriæ, vel ideo dicitur prima, quia in illa terra, hoc eſt, in Syria incipiebatur deſcribi. Soluebat autem præſecto quilibet inſcribendus ſeu inſcriptus denarium, qui decem fertur nummos valuiſſe viſuales. Hic denarius decalogum præceptorum Dei ſignificat Deo præſtandum, ab his qui vocati ſunt ad vnitate, vnde excidimus. Ciuitas hæc noſtra eſt patria, puta regnum cælorum quod amiſimus, ſed per Chriſtum reuocati ſumus. Quod in Propheta facturum ſe promiſerat Deus dicens: *Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo vos de vnuerſis terris & adducam vos in terram veſtram.*

Denarius Deo ſolendus quid myſticè.

Ezech. 36.

Aſcendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudaam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.

Luce 2. Sicut Nazareth suæ incarnationi, vbi Maria virgo illum benedicta conciperet, ita Hierosolymam, vbi pateretur, & Bethleem, vbi nasceretur locum Christus elegit. Hic namque in propheta etiam locus nominatur, quando dicitur: *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Et egressus eius à principio, à diebus æternitatis.* Hæc propheta ut impleretur, vide quomodo nesciens Octavianus Augustus, diuinæ dispensationi inseruierit. Edicto namque euulgato accedente tempore partus Mariæ, data est occasio Ioseph & Mariæ veniendi in Bethleem. Erat enim Bethleem Iudæa, id est, Iudaica pertinens ad tribum Iudæ. Siquidem erat alia quoque ciuitas Bethleem in tribu Zabulon sita, ad cuius differentiam hic Euangelista Bethleem vocat Iudæam, hoc est, Iudaicam, ut legatur hæc dictio Iudæa adiectiuè. Vocatur quoque ciuitas Dauid, quandoquidem in ea natus est Dauid. Dicitur autem Ioseph natus de tribu Iudæ, de domu & familia Dauid. Vnde liquet Mariam quoque de eadem tribu & familia fuisse, propterea quod lex virum & vxorem eiusdem iubebat esse tribus, nec ex alia tribu, quam ex sua vir poterat accipere vxorem. Vocatur autem beatissima virgo Maria vxor Ioseph, qui quomodo tunc putabatur Euangelista refert. Erat autem re vera B. Maria coniunx Ioseph. Verum namque inter Ioseph & Mariam fuit matrimonium, ad cuius veritatem opus non est vt interueniat copula carnalis.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies Mariæ vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum.

Non dubium est sanctissimam virginem Mariam Spiritu sancto plenam, prophetarumque mysteria omnia clarius, quam hi qui prophetarum intellexisse. Vnde non ignorabat Michæam Prophetam de Bethleem Ephrata loquentem, quin etiam Spiritu sancto reuelante, nouerat se in Bethleem parituram. Impleti itaque sunt dies vt Maria pareret, & sol iustitiæ post longam ignorantie noctem prodiret. Peperit igitur filium suum primogenitum. Peperit, inquam, non parturijt. Parturire enim, est cum dolore ad partum se parare. De hac autem virgine sacratissima Propheta Esaias dicit: *Antequam parturiret peperit: hoc est, antequam dolores sentiret pariendi, peperit masculum. Quis vnquam audiuit tale, aut quis vidit huic simile? Siquidem in omni partu, alia partum præcedit parturicio. In hoc verò partu, partus præcedit parturicionem: imo parturicio nulla fuit, quia dolor omnis absuit.* Sciendum quoque, beatissimam virginem, quomodo in partu fuit à dolore libera, ita infantem portans in vtero, non fuit grauata. Compatiendum tamen virgini teneræ, quæ itineris labore fatigabatur, compatiendum eius verecundiæ, quia itineræ fatigata, hospitium quo reciperetur, non inuenit. Erant enim hospitiarum loca occupata omnia, aut seruata ditionibus, & à quibus maior quæstus sperabatur. Videbant enim, vt creditur, qui hospitia locabant, parum sibi lucri accessurum ex his hospitiis. Vide tamen tu quomodo suos exercet Christus, eosque charissimos humilitione ac paupertate grauat. Vide quia nihil inde turbatur Maria, nihil xgre fert. Non querulatur, non iactat se, quod mundi habeat Dominum in vtero, non dicit: *Mihi bonum amplumque debetur in terra hospitium, quia eum porto, qui fecit cæ-*

Mich. 5.

**Parturire qd
proptie signet.**

Isa. 66.

**Compatiendū
cur sit B. Maria
siq̄ puerperis.**

cit cælum & terram. De huius paupertate dicit Chrysoſtomus: Quicumque pauper est, accipiat consolationem: Ioseph & Maria mater Domini non habebant seruum, non ancillam. De Galilæa, de Nazareth soli veniunt. Nō habebant iumentum. Ipsi sunt Domini & famuli. O rem nouam. Ingressuntur in diuersorium, non ingrediuntur ciuitatem. Paupertas enim timida, inter diuites non audebat accedere.

Chryſost.
Paupertas
Mariæ & Ioseph
quanta.

Itaque cum in stabulo, vbi asinus & bos erant alligati ad præsepe, forent, & consolatione sese mutua ac planè diuina virginei coniuges super paupertate sua confortarent, vterque ad angulum orationis gratia secessit. Interea, dum iam silentium teneret omnia, & nox medium iter in cursu suo haberet, adfuit hora illa felicissima, & ab æterno benedicta, qua dignissima ac Dei mater peperit filium suum primogenitum, id est, ante quem non habuit alium, vt esset primus, non in ordine sequentium, nec post quem alij, sed ante quem nullus. Quo hæreticorum eliditur error atque impietas dicentium B. Mariam plures habuisse filios, propterea quod Christus hic dicitur primogenitus.

Sapient. 18.

Christus vti
dictus sit primogenitus.

Et pannis eum inuoluit & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.

Sicut beatissima virgo Maria Deum sine carnali delectatione, cum spiritali verò ingenti læticia concepit, constituta interim in sublimi contemplatione, ita gaudio spiritali internoque tota resecta, ac deuotissima contemplatione, in Deum absorpta, in partu nihil doloris sensit. Virgo enim integra peperit, virgo etiam post partum inuiolata permansit. Erat autem tunc, vt nonnulli volunt, virgo beata in oratione genibus flexis, & subito ac quasi in ictu oculi genuit infantem. Quem vbi ante se iacentem vidit, Deum suum verum & hominem illico adorauit, pannis inuoluit, nullo vtens alieno obsequio. Nulla enim in hoc partu obstetrix fuit, nulla muliercularum sedulitas fuit. Ipsa, vt Hieronymus ait, pannis inuoluit infantem, ipsa mater & obstetrix. Ipsa puerum reclinauit pannis inuolutum in præsepio. Neque enim ei locus erat in diuersorio. Cui? Creatori cæli & terræ, Deo Omnipotenti non fuit locus in diuersorio. Vnde cogebatur eius mater iuxta animalia habitare ac parere, puerumque vt creditur, propter frigora in præsepe, & fortasse ante iumentorum ora ponere. Locum enim pro puero quo illum poneret non inuenit aptiorem. Posset ne hic pauperius quid, vilius quid, atque humilius pro Dei matre, pro Dei Filio excogitari? Accurrite diuites, & videte regis nostri diuitias. Intuemini fastum & magnificentiam eius. Perquirite, in quo sitis vos ei similes. Certè si is qui dicit se Christi esse, debeat, quomodo ipse ambulauit, ambulare, tunc nimis estis ei dissimiles. Vita vestra, cibi vestri, lecti, domus, vtensilia, serui, vestes, thesauri, & omnia quæ agitis, ex diametro Christo repugnant infanti. An non erubescitis eius infantiam contemplari? Attendite, quod pro vobis hæc sustinet. Imitemini illum aut saltem an necessaria sibi velit suppeditari, interrogate. Dicam sciscitando pro vobis infantem. Quid puer regis altissimi à diuitibus his cupis, quid postulas ab his, qui habent omnia? Vis habere pannos holosericos quæ diuitibus abundant? Num phialam cupis argenteam? Num cibos delicatos o-

Maria virgo
vbi Christum
concepit &
peperit in
alta contem-
platione cō-
stituta.
Natiuitatis
Christi mo-
dus quis.

Hieron.

Paupertas &
vilitas Chri-
sti nascentis
quæto fuerit.
Ioan. 1.

Interrogatio
pro diuitibus
ad infantula-
rum.

k pipare

Responsio
pueri Iesu ad
diuites.

pipare præparatos? Nunquid pecunias? Aut vis tibi palatium ædificari? Hic enim omnibus abundant diuites. Nihil, inquit, terrenum, nihil temporale desidero. Hæc si mihi vultis dare, pauperibus date. Quicquid enim illis dederitis, mihi dedistis. Non in hunc ideo mundum veni, vt vos doceam terrenis abundare, aut amare diuitias, sed paupertatem, honores contemnere, carnem castigare, vilitatem sanctamq; rusticitatem amplecti, modicis & vilibus contentos esse. Ego paupertatem in meipso consecrabo. Date mihi peccata vestra, & imponite dorso meo, ea scilicet, à quibus deinceps vultis abstinere, quæ vultis plangere, pro quibus poenitere vultis: & ego pro his satisfaciam. Ego pro his sinam me flagellari, crucifigi, & occidi. Porro, si peccata habetis, quæ non plangitis, quæ non emendatis, quorum non poenite mini, illa si retinueritis, retinebunt vos, & demergent in infernum. Contra hæc nõ erit redemptio. Ego quidẽ pro vobis patiar, at mea poena, meaq; satisfactio nihil proderit vobis, sed impoentiter moriemini in peccatis vestris.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Etcce Angelus Domini ferit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos: & timuerunt timore magno.

Angelorum
apparitio in
veteri nouo-
que testamē-
to dissimilis.

Pastores vigilabant super gregem. Non vnus sed plures erant, qui Christi possent natiuitati ferre testimonium. Illis igitur Christus suã reuelari voluit infantiam. Vide autem, quia sicut Christi sunt natiuitatis testes pastores ita prædicationi ac vitæ eiusdem Apostoli piscatores præbuerunt testimonium, vtrique illiterati & simplices, nec fallere docti. Vide præterea, quomodo Angelus non more solito apparet, quo patribus olim se erant soliti exhibere Angeli. Siquidem hic apparet non solum in specie humana visibili, sed etiam cum lumine. Nam & claritas Dei, inquit Euangelista circumfulsit illos. Vbi similem apparitionem in veteri legisti testamento? Discreuit Dominus à tempore legis tempus gratiæ: tempus in quo erat figura tantum & umbra futurorum, à tempore in quo erat veritas & gratia. Decebat Dei Filio homine nato, reuerentiam, quam olim maiorem erga naturam nostram exhiberi ab Angelis, & nos non tanquam exules, abiectos, proscriptosq; seruos, sed vt Dei filios, coheredesq; agnosci. Quod claritas Dei circumfulserit illos, intelligenda est lux diuinitus missa, quæ aerem lucidum & clarum iuxta illos reddidit, quo fierent idonei ad recipiendam internam illuminationem de Christi natiuitate, eo modo quo in Actis legitur Apostolorum de Paulo: *Su' ito circumfulsit eum lux de caelo*. Sequitur namque, quod ex visione hac magno timore fuerint perculsi, quo parabantur ad recipiendam reuelationem.

Claritas pa-
stores circū-
fulgens qua-
lis fuerit.

Actor 9.

Et dixit illis Angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.

Sp' ritus boni
spiritus que
mali visio

Officium boni spiritus seruat Angelus, cuius est illum, cui apparet, timorem consolari. Incipit enim angelica visio cum timore, sed magis magisque
cont.

continue videns, serenior efficitur. Cui contrario habet modo spiritus ma-
 lus, quia eius visio principio blanditur, sed in obscuritatem ac tenebras in-
 ducens in terrorem quoque semper maiorem crescit. Ideo hic Angelus vi-
 dens pastores contritos, consolatur eos, dicens: Nolite timere. Quin potius
 gaudete. Unde? Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod tam gentibus,
 quam Iudæis omnique erit populo. Euangelizo, inquit vobis. Quibus vo-
 bis? Vobis pauperibus, simplicibus, humilibus, vigilantibus pastoribus. Vi-
 dete filij. Angelus non ad molle stratum stetit Herod's, non Caiphæ, ponti-
 ficibus que nunciar Iudæorum Christi natiuitatem. Multi erant diuites, qui
 tunc sumpta cœna delicata dormiebant in lectis suis: multi potentes & re-
 ges, quorum nulli Christi reuelata est natiuitas: sed pastoribus pauperibus,
 vigilantibusq; duntaxat apparuit. Euangelizo, inquit, vobis. Quid? Gau-
 dium magnum. De quo? Quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Chri-
 stus Dominus. Videsne quare hoc diuitibus non fuerat annuncian-
 dum, ne-
 que ambitiosis? Illis enim gaudium non est nunciari Christum esse natum:
 gauderent verò di thesauro adepto pecuniarum, de fortuna accidente, aur
 de honoribus. Hoc enim amantes gaudent dum assequuntur. Pauperibus
 igitur spiritu, humilibus, mundi amore vacuis, & in mundi respectu, aut
 æstimatione vilibus & abiectis, ad Domini aduentum vigilantibus erat hoc
 gaudium euangelizandum, utpote qui de mundo gaudium non habent, ideo
 de Christi possunt gaudere natiuitate. Saluator mundi dicitur Christus, cui
 saluare congruit tanquam Deo, qui per Esaiam dicit: *Deus iustus & saluator nō*
est prater me. Et in Osea: *Ego Dominus Deus tuus, & saluator non est prater me.* Con-
 uenit ei quoque saluatorem dici, secundum quod est homo assumptus, quē
 admodum ad Ioseph patrem Iesu nutritium dictum est: *Vocabis nomē eius*
Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum, à peccatis eorum. Quod Christus
 Dominus noster quoq; impleuit quia passione sua nos redemit, atque salu-
 tem sanguine nobis suo comparauit.

quomodo
discernatur.

Natiuitas
Christi cui
pauperibus
potius quam
diuitibus nū-
ciata fuit.

Saluator cui
rectè vocetur
Christus,
Esa. 45.
Osee 1.

Matth. 1.
Apoc. 1.

Et hoc vobis signum. Inuenietis infantem pannis inuolu-
 tum, & positum in præsepio.

Videte cuiusmodi signum dicat Angelus, per quod Christus agnosci de-
 beat Saluator. Nempe paupertatem. Adeo salutaris est paupertas, adeo est
 eius amor nobilis, ut Christus illam è cælo veniens præcunctis bonis mun-
 di elegerit. Abundabat thesaurus hic in terris, sed nesciebatur præcium eius
 quousque Christus è cælo veniens, & paupertatem in se transformans, hanc
 in se consecraret, & nobis amabilem faceret. *Beati igitur pauperes spiritu,* hoc
 est, affectu, quibus terrenarum rerum abest amor, quibus nulla adest cupidi-
 tas: *quia in ipso est regnum celorum.* Est itaque signum paupertas Christi
 nobis in salutem, sed in signum cui à multis contradicitur, puta ab omnibus
 mundi amatoribus. Docuit enim hoc signo nos mundum contemnere. Sed
 quis huic signo non contradicit, nisi pauci electi?

Paupertatis
nobilitas
quanta.
Bernardus.

Matth. 5.
pauperes spi-
ritu qui sint.

Lucæ 1.
paupertatem
Christi esse
signum cui à
multis con-
tradicitur.

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis,
 laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo,
 & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Copiosum Angelorum agmen subito yno Angelo loquente apparuit, cæ-
 lestis

k 2 lectis

Angeli cur
Christo nato
apparuerint.

Esaie 48.
Psalm. 116.
Pax cum tri-
bus quomo-
do seruanda
sit.

Math. 11.

lestis exercitus similitudinem habens: quod tamen non ad pugnam, sed ad Dei laudem ideo erat congregatum, quo Dei prædicaret maiestatem, & sapientiam, & potentiam, & bonitatem latentem in externo, viliquæ apparentia infantis. Hunc, inquam, vt regem suum nobis manifestarent, collaudarent, nobisque gratularentur apparuere Angeli. Vide autem quid dicant: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Deo cui soli debetur gloriam tribuunt, hominibus verò, qua indigent maxime, pacem. Vide autem quod non hominibus quibuslibet, sed his tantum, qui sunt bonæ voluntatis. *Non est enim pax impijs* dicit Dominus: *sed pax multi a diligentibus legem Dei.* Seruemus igitur nos pacem cum Deo, eius obediendo voluntati: seruemus cum proximo, illum diligendo ac portando: seruemus nobiscum, in animi tranquillitate omnia ferendo. Tunc Christum infantem digne possimus cum pastoribus audire natum, querere & inuenire, non imperantem angelis, non signa facientem: sed in præsepi ante iumentorum ora iacentem, inuolutum pannis, humilem, mansuetumque corde, qui cum Patre & Spiritu sancto est benedictus in secula, Amen.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE.

Vnde gaudendum sit, & quid docuerit, quoque nos inuit auoris Christi natiuitatis.

Natiuitas
Christi quæ
bona obtule-
rit.

Gaudium o-
riri ex mul-
tis.

Desiderium
patrum anti-
quorum pro
aduentu Chri-
sti quantum.
Luca 10.
Ioan. 1.
Psalm. 7.
Esaie 64.

Ioan. 3.

Evang. lizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator. Luca II. Nemo fratres filijque charissimi quouis onere aut molestia grauatus, non gaudet, sicerta illi promittatur ab hoc onere liberatio. Qui enim tenebris est inclusus, gaudet redire ad lucem. Qui in infirmitate est, gaudet de aduentu medici. Qui captiuitate est detentus, gaudet adesse libertatem. Qui denique damnatus est, gaudet de aduentu aut præsentia saluatoris. Hæc aliaque omnia nobis Christus fuit, quia & nos ediuerso fuimus omnia, puta captiui, cæci, infirmi, ad mortemque damnati. Gaudete igitur omnes, inquit Angelus, quia natus est vobis hodie Saluator, qui ab omni vos molestia liberet. Est enim cæcis lux, infirmis sanitas, captiuis redemptio, damnatis salus, vita mortuis. Nunciabat igitur Angelus his qui gaudere de hoc nouerant, quod natus esset Iesus, spes, salus, & redemptio omnium. Nunciat autem Angelus gaudium. Quapropter sciendum ex multis oriri, vt quis gaudeat Primo, vt si quis rem diu affectat amalsequatur. Christi igitur natiuitas cum diu promissa fuerit mundo, cum esset aduentus continue expectaretur, cum magnis denique postularerit gemitibus, non potuit non esse gaudio, vbi aduenit. Si quidem, vt Christus ait, Multi reges & principes & prophetae voluerunt videre, quæ vos videris, & non viderunt. Et, Abraham, inquit, desiderauit videre diem meum. & vidit, subaucti in fide, & gauisus est. Clamabant quoque sancti patres in lymbo: Domine, noli nos calos tuos & descende: Et: Vnum mihi disrumpere calos, & descendere. Cum itaque tantum esset patrum, tamque astuans desiderium vt veniret, quomodo non potuit gaudium esse mundo, non huic scilicet cuius filij sunt reprobi, atque à filij Dei diuisi: sed mundo, id est, hic viuentibus in mundo, de quo loquitur Ioannes, cum dicit: Sic Deus dilexit mundum, vt daret Filium suum vnigenitum, vt omnis qui credit in illum non pereat sed habeat vitam æternam. Quomodo, inquã, non esset gaudium mundo, quando venit? Magna igitur necessitas, quæ premebat mundum, quæ

qui consilio opeque indigebat Christi, id fecit, ut magnum pro eodem esset desiderium ut veniret. Propterea exultabundus Psalmista canit: *Redemptorem misit populo suo* quia misit eum, qui saluum faceret populum suum à peccatis eorum. Qui igitur tanto opere desiderabatur, veniens necesse erat ut sui desiderabundos gaudio magno reficeret. Similiter secundum gaudium est magnum, ut cum quis liberatur à magno periculo. In quo autem periculo, dic mihi, fuit uniuersus mundus? Profecto sub sententiam aeternae damnationis. Venisse itaque eum qui nos à iugo seruitutis diaboli, à iugo peccati, à damnatione: perpetua, ab omnibus malis alijs, quibus inuoluti tenebamur liberet, nonne ad gaudium hoc merito nos excitaret? Maxime profecto. Erat enim tunc nobiscum, quemadmodum Elaias prophetauerat, dicens: *Populus meus apertius ductus est, & infernus dilatavit animam suam.* Haudquaquam igitur, Augustino teste, liberaretur homo, nisi Deus fieret homo. Gaudium igitur erat de Christi natiuitate. Tercio, gaudium exhibet magnus honor affectus. Qualem putas affectui sumus honorem ex incarnatione & natiuitate Christi? Maximum profecto, quo nec esse, nec euenire nobis posset maior. Siquidem *dedit nobis*, ait Ioannes, *potestatem filios Dei fieri.* Si autem filios, ergo & secundum Apostolum, *haeredes, Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*, imò & ciues & domesticos Dei tam hic in Ecclesia, quàm regni in patria. Quarto, quod magnum generat gaudium est, quando quis à magno se Domino vehementer cognoscit diligi. Nesciui, inquit Bernardus, quantum me Deus diligeret, nisi pro me mori eligeret. Nasci autem idcirco voluit, quia mori pro nobis voluit. Si enim teste Augustino, Deus peccatores non amaret, de caelis ad terram non descenderet. Vide autem, & diligentius hanc charitatem expende. Cùm enim in sua esset potestate, in sua quoque optione modum quo nos redimere vellet, eligere, non alium eligere voluit, quàm eum, quo maximam nobis ostenderet suam erga nos charitatem. Neque enim hoc tantum eius charitatem nobis insinuat, quod nos redimere voluit, sed hoc quod modo, cùm pouisset faciliorem, nos redemit. Voluit enim ad nos venire humilis. Idcirco non elegit parentes potentes, aut iuxta fastum mundi nobiles, sed humiles & pauperes, ne quis timeret illum accedere. Voluit enim non in castro, sed in stabulo nasci, quo doceret omnibus patere accessum, nulli aditum pracludi. Non est, ut causeris in magno illum palatio natum, quo ad illum introitus non pateat. In stabulo natus est, vili & pauperi loco, solus est pauper, est infans, què timere non habes. Quo igitur te non deterreret, sed inuitaret ad se, pauper & humilis natus est. Quo deinde videres, quantum te amaret, quantumque ad se inuitandum pariter & ad diligendum te inuitaret, quo scilicet carnem contra petulantiam assilgere, humilis & mitis esse disceres in vili tugurio, in hyeme, in frigoribus, in nocte, quod paruulis teneris molestiora sunt, voluit nasci. Voluit te aduertere & cognoscere, quanta se maiestas propter te in tam grandem vilitatem humiliaret. Aeternus, vnus horum fieret homo: omnia implens, in praesepio iaceret: mundum regens, nihil in mundo proprium possideret: Angelis imperans, vbera sugeret virginis, omnia pascens, in praesepio iaceret. Immortalis & impassibilis, fieret mortalibus & passibilis. Qui ora aperit mutorum, infans esset. Diues, cuius sunt

Psalm. 110.

Matth. 7.

In quanto periculo fuerit mundus ante Christi aduentum.

Esaias.

Augustin.

Honorè cuiusmodi affectus sui homo ex Christi inuocatione.

Ioan. 1.

Roman. 8.

1 phei 2.

Diligi à magno homino quàm gaudium.

Bernard.

Augustin.

Charitatem quam ostenderit nobis Christus.

Christus cur in stabulo vili voluerit nasci.

Natiuitas Christi quàm fuerit humiliata, & mirabilis.

Leo Papa.

Esaias 50.

omnia, pauper esset. Cui ministrant angeli, ignotus & sine hospitiis esset. Quare hæc omnia filij? Vt charitatem suam ad vos monstraret vobis, & ostenderet quanti vos faceret, quantum ve ad se redamandum vos prouocare niteretur. Ipse enim nobis factus est via sicut dicit: *Ego sum via, veritas*

Ioan. 14.

Via ad regnū
celorum quo-
modo Chri-
stus in seipso
ostendit
aobis.

Psalm 97.
Bernard.

Esaï 7.

Math 3.
Luc 3.

Stabulū cur
in sua natiui-
tate elegerit
Christus.

Cor nostrum
quo modo
Deo traden-
dum sit.

Nasci cur vo-
luerit Chri-
stus in aliena
terra.

Nocte cur
nasci volue-
rit Christus.
Conditiones
natiuitatis
Christi ad quod
valeant.

& *vita* per quam ingredi nos oportet in regnum celorum.

Ne igitur aliam queramus viam, in seipso nobis ostendit, quæ sit via.

Nempe via humilitatis, patientiæ, paupertatis & simplicitatis, quam mū-

dum mox ingressus, ante præmōstraret exemplo, quàm prædicaret verbo.

Imo quam in sua exhibuit natiuitate, per omnem tenuit vitam, vt in Psal-

mo dicit: *Pauper sum ego, & in la' oribus auerentur meae: exaltatus autem humili-*

atus sum, & conturbatus. Vnde sanctus loquitur Bernardus: Nascitur Dei Fi-

lius, in cuius arbitrio erat quodcumque vellet tempus eligere. Christus ele-

git, quod molestius est, præsertim paruulo & pauperis matris filio, quæ vix

pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum. Et cum tanta

esset necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Christus utique

qui non fallitur, elegit quod carni molestius est, id ergo melius, id vtilius,

id potius eligendum. Et quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam

à seductore cauendum. Et tamen fratres, ipse est qui promissus est olim per

Esaïam prophetam paruulus sciens reprobare malū, & eligere bonū. Malū

ergo voluptas corporis est: bonum verò afflictio est. Si quidē & hanc elegit,

& illam reprobaui puer sapiens, verbū infans. Itaque iam opere docet hic

beatissimus infans Iesus Christus, vt fugiamus voluptatē, & agamus peni-

tentiam: appropinquat enim regnum celorum, quod nemini patrum sub le-

ge nec ante legem dictum est appropinquare. Sed huic temperi, & regni celo-

rum, & fugæ seculi, & pœnitentiæ salutaris euangelizatio seruata est. Hæc Do-

mini clamat præsepe, hæc stabulum, hæc panni, hæc manifestant infantilia

membra, hæc lachrymæ & vagitus annunciant infantis. Quare enim carere

voluit hospitio Dominus Iesus, quare non erat ei in diuersorio locus? Nō ob

aliud profecto, quam vt se ostenderet terrena non querere, nec amare. Doce-

re te quoq; voluit, de palatijs non cogitare, nō superbe præsumptosq; ad-

ficare, vilitate contentum manere. Ipse stabulum elegit, vt superbas destrue-

ret ædes, hoc est, vt tu mundi curiositatem, mundi sperneres gloriam, adifi-

ciolorumq; contemneres apparatus. Ipse hospitium non habuit, vt tu illius

misertus, cor tuū illi tradas ad inhabitandum. Quomodo trades? Eijciendo

malas inclinationes & desideria, vitia & passiones. Nihil enim tā desiderat,

quam cor mundum. Solus namq; vult habitare in te sine cōsortio alieno. In

aliena terra voluit nasci, vt tu cognoscas te aduenam & peregrinum in hoc

seculo, & ab hoc seculo contendas amorē tuum transferre ad cælestia. In no-

cte voluit nasci, ne nimium te occupes in splendore mundanæ gloriæ & secu-

laris honestatis, sed animum geras simplicē, in Christoq; absconditum. Vi-

de igitur conditiones natiuitatis eius, quibus mundi prædicauit ac suasit cō-

temptum. Hæ enim explicant eius ad te charitatem, cum tanti habitū te vi-

deris, cuius curam Christus habuit, & acerba molestiq; infantulus Iesus tui

amore, quo te sibi attraheret, tolerauit. Inde igitur, sicut dixi, magnum tibi

oriri debet gaudium, quod ab immenso Domino sis amatus. Rectē igitur ex

Christi euangelizatur natiuitate gaudium magnum futurū. Sed quibus in-

quis,

quis, nunciatur? Nō enim omnibus est gaudium Christi natiuitas. Siquidē tri-
 bus Magis paulō post venientibus & dicentibus. *Vbi est qui natus est rex Iude-*
orum? Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Fuit igitur
 Christi natiuitas quibusdam fastidio nonnullis odio, multis quoque gau-
 dio. Fastidio fuit his qui terrena amantes, cœlestia aut nō appetūt, aut con-
 temnūt. Odio fuit his, quorū glorię, ambitioni, aut cupiditati per Christum
 aliquid deperibat. Herodes namq; suę metuebat glorię regni: ideo Christū
 persequebatur, timens aut sui expulsiōē, aut regni inuasorē. Iudæorū phari-
 sæi Christū persequebātur, quia tanta eorū erat auaritia, ambitio, iactantia,
 tantus vitiorū horū amor, vt Christi verba & eruditiōē tanquam sibi mo-
 lestam atq; contrariā persequebātur. Illis igitur fuit solis gaudium, qui vigi-
 labant pro gregis sui custodia, quibus Christus futurus erat instructio, redē-
 ptiō, sanctificatio, exēplarq; vitę. Hi enim Christo indigebant, Christum
 requirebāt, quia se suamq; inopiā attendebāt. Quo nūciato aduenisse ad illi-
 pręsentia gaudebāt. Quocirca humiles, simplices, pauperes spiritu, vigilan-
 tes cōtra diabolū, pro sui custodia solliciti, Deumq; metuētes significabātur in
 his pastorib⁹, quibus Christi annuciatur natiuitas. Rectē quidē simplicibus
 nunciatur Christi in mundū natiuitas, quandoquidem cum simplicibus est
 sermocinatio eius. Ignorabant interea hanc natiuitatē Philosophi & mūdī
 sapientes, ignorabāt pagani. Indigni erāt, quibus nūciaretur, scribæ & Pha-
 risæi: & cunctis in mundo potētibus, pastorū simplicitas antefertur. Vos
 estis charissimi, quibus hoc gaudiū nunciatur, qui estis in luctu peccatorum
 vestrorū, qui vigilatis in orationib⁹ ad fores sapientię quotidie. Vos qui nō
 habetis, vt diuites, hic consolationē vestram, non estis iusti & magni in ocu-
 lis vestris, quib⁹ dicitur. *Natus est vobis hodie Saluator.* Quomodo enim illis
 nūciaretur natus Saluator, qui obstrepunt Euangelio, quod Christus verbo
 docuit, & opere mōstrauit. Nō loquor de his qui cōtradicūt Euangelio Lu-
 theri. Vtinā omnes cōtradicerent, qui neq; verba sana docer, etiā quando E-
 uangelium docer, quia nō cū Ecclesia & in sensu, quē spiritus sanctus dedit Ec-
 clesię Euangelium docer, sed quomodo ab alio spiritu quodā qui dissensionis,
 fraudis & seductionis est artifex, accepit. Nec docer exēplo apostata & voti-
 fragus, sed seducit quomodo ipse vltro seductus est ex odio Papę: apud quē
 fertur impetrare quę postulabat non potuisse, atq; nūc tam contra Papam, q̄
 cōtra ea q̄ sibi negata sunt, predicare. Itaq; his qui Christi Euangelio, q̄ Christi
 Ecclesię obstrepūt, q̄ Christi vitę & morib⁹ repugnāt, qui Christo reipsa di-
 cunt, *Recede à nobis scientiā vāru tuarū nolimus,* quādo nunciaretur, Natus est
 vobis hodie Saluator, quādoquidē huiusmodi est eorū vita, vt Christus eos
 saluare nō possit, quia saluari nolūt: Nō quidē prorsus nolūt: sed vt peccata
 sua relinquunt, vt Christo obediant, tanti redemptionē Christi, quę illis p-
 desse possit, nō faciunt. Non luxuriosis, auaris, non homicidis, nō fornicari-
 is, non ebriosis Christi nunciatur natiuitas: quin qui talia agunt, regnum
 Dei non consequentur. Et in hoc Christi vili tugurio, nihil est quod aua-
 ri aut gulosi concupiscant, nihil in tam sancta virginea est natiuitate,
 quod immundos oblectet. Sed vobis, inquam nunciatur, qui iam cępistis
 imitari, quod in Christo infante didicistis. Iam placet vobis, quod ē cœlo
 veniens Dei Filius suo exemplo vos docuit. Idcirco euangelizor vobis gaudium

Matth. 2.
 Natiuitas
 Christi qui-
 bus fuerit fa-
 stidio & o-
 dio.

Natiuitas
 Christi qui-
 bus fuerit
 gaudium.

Simplicibus.
 cur nunciata
 Christi fue-
 rit natiuitas.
 Prouer. 3.

Lucæ 2.

Euangelium
 cur non rectē
 doceatur à
 Luthero.

Orij Lutheri
 contra Papā
 origo quę.
 Job 21.

Galat. 3.

Lucæ 2.

Lucz 2.
1 saiz 44.
Lucz 1.

Ezech. 14.
Lucz 15.

Ioan. 11.

Esaiz. 7.
Esaiz. 57.

Lucz 2.

Angelorum
circa cubas
Christi fre-
quentia &
reuerentia.

Cant. 1.
Bethleem
quomodo cū
pastoribus
eundem sit.

*magnum, quia natus est vobis hodie Saluator. Gaudete gaudio magno, quia Deus Israel visitauit vos, oriens ex alto. Visitauit & fecit redemptionem plebi sue. Visitauit vos vt pater, qui filios suos erudit, pascit, liberat, defendit & prouidit eis hæreditatem. Hęc omnia nobis Christus fecit. Visitauit vt pastor, dispersas oues congregans, & perditam ouem suis humeris imponens, atque domum reducens. Ad hoc enim venit in mundum, inquit Euangelista, vt filios Dei, qui erant dispersi in mundo, congregaret in vnum. Visitauit vt medicus, qui languidos curaret. Omnes enim eramus infirmi. Omne nempe erat caput languidum & omne cor marens. Venit igitur vt suo nos liuore sanaret. Cæterum, vbi Christi nunciabatur natiuitas ab Angelo plena gaudio, subito comparuit lux cælestis quoque, quæ testaretur verba Angeli, pastores inducens ad mirandum & ad querendum eum, qui nunciabatur. *Facta est autem, inquit, multitudo celestis exercitus, laudantium Deum, & dicentium, Gloriam altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Quo credendum insinuat Angelos aut singulos, aut de singulis choris aliquos descendisse, & magna reuerentia, magnaquæ læticia ad videndum salutandumquæ regem suum aduolasse. Stupabant enim eius humilitatem nimiam, adorabant eius maiestatem, bonitatem eius collaudabant, officiosissimamquæ veneratione ad Domini sui matrem se exhibebant. Vnde, vt dixi, nullum Angelum fuisse qui non ideo veniret, vt Christum Deum & hominem saluaret, adoraret, eiq; gratularetur, verisimile est. Quapropter deceret quemque Christianum ad hoc Christi tugurium, imo ad cælestis palatium accedere, & videre regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Eamus igitur cum pastoribus Bethleem, & videamus regem nostrum, Saluatoremq; nostrum. Admiremur eius charitatem, & gratias illi, non labiorum duntaxat motu, sed deuotissima effusione cordis agamus. Subiciamus nos eius seruituti & obedientiæ, qui torcumnis & pennis nostri se amore subiecit. Adiciamus non nihil præter solitum morem, ad pristinam eius seruitutem, vt posthac feruentiores, humiliores, mitiores, & in omni virtute inueniamur, quæ olim, perfectiores. Si enim vetus nostra in deuotio, si inolita detinuerit nos cõsuetudo, nec profectui nostro aliquid adiecerimus, quid Christi in nobis quæso hodie operata est natiuitas? Præstemus igitur opere ac veritate, vt etiam ab his qui diligenter nos obseruât quantumuis celare id voluerimus, non possit non percipi, vnde nobis ipsi meliores sumus facti: id largiente nobis Iesu Christo Dei & Virginis Filio, qui cum Patre & Spiritu sancto est Deus vnus benedictus in secula, Amen.*

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTY-
ris, Lectio Actuum Apostolorum VI. & VII.

Act. 11.

Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano. Et non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. *Audite.*